

Index Vocabulorum Initialium omnium Conffit.

Exposuit nobis . 1728.	296.	Nuper pro parte . 1726.	92.
Exponi nuper . 1729.	389.	Nuper pro parte . 1727.	196.
Fideli, ac prudenti . 1728.	291.	Nuper pro parte . 1727.	228.
Gloriosus Christi . 1728.	279.	Nuper pro parte . 1727.	260.
Godendo pacificamente . 1728.	337.	Nuper pro parte . 1730.	261.
Habita fuit . 1729.	356.	Nuper pro parte . 1730.	408.
Jamdudum non sine . 1729.	403.	Nuper pro parte . 1730.	414.
Illius cuius ineffabili . 1727.	41.	Onerosa Pastoralis . 1725.	82.
In Apostolicæ dignitatis . 1727.	199.	Pastoralis Nostra . 1726.	104.
In Apostolicæ dignitatis . 1729.	347.	Pastoralis officii . 1728.	341.
In Apostolici ministerii . 1728.	334.	Pastoralis officii . 1725.	29.
In Excelsa Sedis . 1725.	8.	Pastoralis officii . 1726.	71.
In Excelsa Sedis . 1726.	86.	Pastoralis officii . 1726.	82.
Injuncti nobis . 1727.	194.	Pastoralis officii . 1725.	10.
Injuncti nobis . 1728.	285.	Pastoralis officii . 1728.	274.
Injunctæ nobis . 1729.	396.	Pastoralis officii . 1729.	355.
In omnium Sanctorum . 1726.	160.	Paterna Sedis . 1725.	49.
Inferutabili Divina . 1726.	138.	Permolesia Nobis . 1726.	102.
In sublimi Sedis . 1726.	72.	Pia mater Ecclesia . 1726.	174.
In supremo Apostolicæ . 1728.	275.	Piis Orthodoxorum . 1729.	370.
In supremo Apostolicæ . 1728.	323.	Pretiosus in conspectu . 1727.	201.
In supremo militantis . 1725.	33.	Quanta Ecclesia . 1726.	96.
In supremo militantis . 1728.	280.	Quatuor cum supra centum . 1725.	48.
Inter Divina . 1725.	57.	Quemadmodum Redemptor . 1726.	111.
Inter plurima . 1726.	80.	Qui prosperum fecit . 1727.	249.
Iustus, ac misericors . 1729.	397.	Quod Apostolica . 1726.	92.
Laudamus viros . 1729.	413.	Quod inferutabilis . 1725.	19.
Libenter ea . 1727.	262.	Quoniam Spiritus Sanctus . 1726.	155.
Liberalia disciplinarum . 1727.	243.	Quotiescumque cogitamus . 1726.	113.
Licet alias . 1727.	192.	Ratio Apostolici . 1726.	98.
Licet omnibus . 1725.	40.	Ratio justitiæ . 1726.	112.
Licet sacra . 1726.	70.	Redemptor humani generis . 1726.	168.
Loca Sancta . 1727.	188.	Redemptoris nostri . 1629.	400.
Magister, ac Procurator . 1728.	325.	Regis pacifici . 1725.	16.
Maxima vigilantia . 1727.	221.	Romana Ecclesia . 1725.	26.
Militantis Ecclesie . 1727.	230.	Romanum decet . 1726.	152.
Militantis Ecclesie . 1727.	244.	Romani Pontificis . 1727.	237.
Militantis Ecclesie . 1728.	278.	Romanus Pontifex . 1726.	74.
Monsignor Francesco . 1729.	351.	Romanus Pontifex . 1728.	328.
Motu proprio . 1728.	288.	Sacra Indicis . 1729.	347.
Motu proprio . 1728.	332.	Sacra Indicis . 1729.	397.
Motu proprio . 1729.	364.	Sacrofanctæ militantis . 1726.	108.
Notoria sunt . 1728.	332.	Sacrofancti Apostolatus . 1727.	246.
Novis istic in dies . 1725.	25.	Sacrofanctum Apostolatus . 1725.	6.
Nuper a Congregatione . 1727.	240.	Singularis devotio . 1726.	100.
Nuper ad Apostolatus . 1728.	284.	Sollicitudo Ecclesie . 1725.	53.
Nuper ad supplicationem . 1727.	185.	Sollicitudo Pastoralis . 1727.	238.
Nuper emanavit . 1725.	18.	Summi Apostolatus . 1726.	66.
Nuper nobis . 1729.	387.	Summi Dei gloria . 1726.	157.
Nuper nos . 1729.	358.	Super universas . 1725.	36.
Nuper pro parte . 1725.	4.	Venerabil. Fratribus . 1729.	377.
Nuper pro parte . 1726.	58.	Vitæ, & morum . 1726.	118.
Nuper pro parte . 1726.	62.	Volendo noi. 1728.	336.
Nuper pro parte . 1726.	79.		

CON.



CONSTITUTIONES
BENEDICTI XIII
ANNO SECUNDO.

LXXIII.

Dat. 8. Junii
1725. An. 2.


Confirmatur, declaratur, & ampliatur Constitutio Greg. XIV. excipiens delicta, & casus, in quibus delinquentes laici Ecclesiastica immunitate non gaudent.

Laudata Consl., cujus Epitome hic extat, edita est 1591 Maji 24. P. 1. Et Clem. XI Consl. ad. 1716 P. 16. Confirmatum fuit quoddam Decretum contra coniectos in carcere allegantes se a locis immunitatis esse extractos.

BENEDICTUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium



X quo, Divina disponente clementia, ad supremum universi Christiani populi regimen assumpti fuimus, considerantes debitum, quo obstringebamur, Ecclesiarum, Sacrorumque Locorum Immunitatem factam testam, inviolatamque

ubique custodiendi inter graviores suscepti Apostolici Ministerii curas merito recenseret: diu, multumque rationes, ac media nobiscum expendere non omisimus, quibus ipsa Immunitas in pristinum venerationis, & reverentia locum restitui posset, ac in omnibus Orbis Catholici regionibus ita observaretur, quemadmodum prisca illa majorum nostrorum disciplina, & vetus Canoniarum sanctionum norma præscripsit.

Epitome
Constitutionis
Gregorianæ.

§. 1. Dum hæc sollicito animo revolveremus, in oculos primum incurrit celebris illa Constitutio a fel. rec. Gregorio Papa XIV. Prædecessore nostro edita, quæ incipit = Cum alias = quæ quidem Constitutione idem Gregorius Prædecessor pro Pastoralis zelo suo hunc ipsum in scopum intendens, facultates, & indulta a qui-

busdam Romanis Pontificibus, ac præsertim a Sancto Pio V., & Sixto etiam V. Prædecessoribus itidem nostris, tunc suis, concessa aliquibus Principibus, eorumque Officialibus, & Magistratibus extrahendi, ac abducendi ab Ecclesiis, aliisque locis immunitatis certorum criminum, reos, & delinquentes, reformavit, moderatiusque fuit; Simul autem delictorum frequentia, unde publica tranquillitas maxime perturbatur, occurrere, volens, ac impedire, quantum licebat, ne aliqua graviora a pravis hominibus patrerentur sub certa impunitatis spe, quam ex confugio ad loca immunitatis sibi parabant, nonnulla expressit, & explicavit crimina, & casus, in quibus laicos delinquentes Ecclesiastica Immunitate nequaquam gaudere voluit, & decrevit; ac insuper Judices constituit, qui in occurrentibus casibus, an delictum esset, necne in eadem Gregoriana Constitutione exceptum cognoscere, & declarare deberent; certamque demum formam in extractione prædictorum delinquentium a locis immunitatis observandam stabilivit, & inviolabiliter ab omnibus perpetuo observari mandavit, quemadmodum in prædicta Constitutione anno Incarnationis Dominicæ 1591. non. Kalen. Junii promulgata ulterius continetur.

Causæ præsentis confirmationis, & declarationis.

§. 2. Quoniam vero post editam hujusmodi Constitutionem ob varias Doctorum eam interpretantium sententias, & variam itidem Curiarum Ecclesiasticarum in illius executione praxim, multiplices contentiones super vero, rectoque ejus sensu inter Ecclesiastica, & Secularia Tribunalia exorta fuerunt; quamplures Romani Pontifices, ac præsertim pia mem. Clemens IX. Clemens X., & Clemens XI. Prædecessores similiter nostri de præfatis contentionibus dilucida casuum exceptorum explicatione submovendis non semel, sicut accepimus, deliberarunt, facilioremque insuper eos probandi, & declarandi methodum, ut ejusdem Gregorii Prædecessoris mens plenius executioni mandaretur, Curis Ecclesiasticis præscribere cogitabant; sed ab aliis distracti curis, ac interim morte præventi, destinata perficere nequiverunt.

§. 3. Hinc igitur est, quod Nos omnino expedit arbitantes, ut ejusmodi controversiis

Confirmatio præd. Constitutionis ex Motu proprio.

A

expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.11. Ut autem presentes littere ad omnium notitiam facilius deveniant, & nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, seu earum exempla ad valvas Ecclesie Lateranensis, & Basilice Principis Apostolorum, necnon Cancellarie Apostolice, Curieque Generalis in Monte Citorio, ac in Acie Campi Florae de Urbe, ut moris est, affigi, & publicari, sicque publicatas, & affixas omnes, & singulos, quos ille concernunt, perinde arcere, & afficere, ac si unicuique eorum nominatum, & personaliter intimata fuissent. Utque ipsarum presentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides, tam in iudicio, quam extra illud ubique adhibetur, quae ipsis presentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostense.

§.12. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrae voluntatis, sanctionis, praeccepti, Decreti, Mandati, prohibitionis, & derogationis infringere, vel eiusdem temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo vigesimo quinto sexto Idus Junii Pontificatus nostri Anno Secundo.

Mandatum habentia fides transumptis

Sanctio perialis

LXXIV.

Dar. 9. Jun. 1725. Ann. 2. Confirmatur Decretum Magistri Generalis Minorum de Observ. approbans bipartitam quandam alternativam officiorum Provinciae S. Saturnini Martyris d. Ordinis.

De alternativam officiorum pro Provinc. S. Anton. in Lusitania Min. de Observ. Discalc. vide Inn. XIII. Concl. ed. 1721. Jun. 16. P. 1. Et hujus Pontificatus Concl. ed. 1725. Jun. 25. P. 2. agitur de Alternativam officiorum Min. de Observ. Provinciae Sicilie.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Super pro parte dilecti filii Antonii Mula Procuratoris Provinciae Sancti Saturnini Martyris Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia ab illius Definitorio specialiter deputati Nobis exposito, quod alias nempe die 19. Februarii 1706. ad pacem in praefata Provincia perpetuo servandam, ac seditiones exterminandas, quae in distribuendis Officiis, & muneribus ipsius Provinciae oriri poterant, omnium voto, & consensu stabilita fuerat Alternativa inter Fratres Montanos ex una, & Campesinos ex altera partibus, scilicet, quod quando Minister Provincialis cum duobus Diffinitoribus erit ex una parte, Custos cum aliis duobus Diffinitoribus fiat ex alia, & sic viceversa eligendo in primo Capitulo celebrando post huiusmodi concordiae confirmationem Ministrum Provinciale ex parte Mont-

Alternativa indicata a Provincia abilita

norum; Item ex undecim Guardianis eligendis in praefata Provincia quinque quidem ex parte ejusdem Ministerii Provincialis; reliqui vero sex ex parte Custodis, ac insuper convenienter, quod Confessarius Monialium Monasterii Sanctae Luciae assumendus fit ex parte, ex qua assumptus fuerit idem Provincialis, & quod Lectores tum Philosophiae, tum Sacrae Theologiae, & Verbi Dei Praedicatorum, qui Conventuales dicuntur aequaliter utrique parti distribuuntur, & in casu vacationis ex quacumque causa provenientis, subrogatio fiat juxta formam Constitutionum generalium dicti Ordinis auctoritate Apostolica confirmatarum, ubi vacatio acciderit. In admittendis autem ad habitum nova alternativa servanda erit, sed probata idoneitate, servativae juxta Statuta generalia Ordinis praedicti servandis indifferenter admittantur, dummodo in Regno Sardiniae sint nati, & haec omnia a praefata Provincia concordata a Definitorio Generali die 22. Maji 1723. speciali Decreto sub nullitate poena confirmata fuerant; ideoque pro parte d. Antonii etiam totius Provinciae huiusmodi nomine Nobis supplicato, ut concordiam, & Alternativam praedictam approbare, & sub eadem poena observari mandarem.

§.1. Nos supplicem libellum super praemissis Nobis porrectum ad Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium praepositam remisimus, quae quidem Congregatio per suum Decretum die 20. Aprilis proxime praeteriti editum, attenta relatione dilecti filii moderni Commissarii Generalis Curiae ejusdem Ordinis benigne commisit dilecto patri filio illius Ministro Generali, ut veris existentibus narratis, & quatenus ita in Domino expedire censuisset, suprascriptas Concordiam, & Alternativam pro suo arbitrio, & conscientia approbaret, atque confirmaret, & in posterum, ab omnibus sub poena nullitatis servari mandaret. Unde dictus Minister Generalis in vim facultatis sibi sic attributae edidit Decretum tenoris, qui sequitur videlicet:

§.2. Cum sicut accepimus, ex retroscripto Decreto Sacrae Congregationis negotiis Episcoporum, & Regularium praeposita Provincia Nostra Sancti Saturnini Martyris in Regno Sardiniae ad eandem Sacram Congregationem supplici Libello recurrenti pro Confirmatione cujusdam Concordiae, & Alternativae communi voto, & consensu decisae, & stabilitae die 19. Februarii anni 1706. approbatae, necnon a Definitorio Generali in Capitulo ultimo Roma celebrato, Decreto speciali emanato die 22. Maji 1723., atque eadem Congregatio audito Patre Commissario Generali Curiae pro familia Ultramontana, attentaque ejusdem relatione, arbitrio, & conscientia nostrae, prout in Domino expedire consuerimus convenienter praenarratam Concordiam, seu Alternativam approbare, & confirmare, atque ad ejus firmiterem observationem omne robur opportunum adhibere. Nos propterea huiusmodi facultate, & commissione, quam reverenter accepimus utentes, certiores effecti de veritate narratarum, Deum, ac bonum commune praefatae nostrae Provinciae pro oculis habentes dicimus, censemus, ac declaramus praefatam concordiam, seu Alternativam opportuna, quin & necessarium fore ad eliminandas discordias, quae ex distributione Officiorum, tam majorum, quam inferiorum in Capitulis tam Provincialibus, quam intermediis oriri consue-

A Pontifice remissa illius approbatio ad Congregationem Episcoporum & Regularium

Ab illa ad Ministrum Gen. Ordinis

A quo Decretum hoc emanavit

gunt, pacemque commanem perpetuo firmandam; eamque propterea approbamus, & confirmamus, atque futuris temporibus perpetuo sub poena nullitatis ejusdemque attentati contra ipsam. Sic nimirum, ut bipartita Provincia inter Montanos, & Campesinos alternativam in posterum inviolabiliter servetur in Provincialatu, Custodiatu, & Diffinitoriis, & Guardianatibus; adeoat una vice ex parte Montanorum eligatur Minister Provincialis, & duo Diffinitores, & ex parte Campesinorum creetur Custos, & duo alii Diffinitores; deinde ex undecim Conventibus, quibus constat praefata Provincia quinque adscribantur parti, ex qua assumendus est Provincialis, & reliqui sex parti, ex qua eligendus est Custos. Item Confessarius Sacramentalium Sanctae Luciae deputabitur ex parte Provincialis, ac tandem Lectores tam Philosophiae, quam Theologiae, sicut Praedicatorum Conventuales instituuntur ad aequalitatem utriusque partis, & in casu vacationis unius, vel alterius substitutio fieri debet ex illa parte, in qua vacantia contigerit. In reliquis autem Officiis, & Ministeriis sicut & in receptione Novitiorum ad habitum, nulla alternativa servabitur, sed omnia juxta Statuta generalia Ordinis, atque praxim hucusque servatam distribuuntur. Praecipimusque per Sanctum obedientiam sub poena privationis Officiorum, ac perpetuae inhabilitatis ad illa omnibus, & singulis tam Patribus, quam Fratribus praefatae nostrae Provinciae ut hanc Concordiam, seu Alternativam a Nobis auctoritate Apostolica approbatam, declaratam, & confirmatam admittere, exequi, & servari teneantur. Datum Romae die 5. Maii anni 1725. = G. Laurentius S. Laurentio Minister Generalis = De mandato S. P. R. Fr. Emmanuel Fernandez del Rio Secretarius Generalis Ordinis. Loco * Sigilli = Regi. strat. tit. Provinciae =

Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Provinciae, & Ordinis praefatorum, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanens ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die IX. Junii MDCCXXV. Pontificatus Nostri Anno Primo.

LXXV.

Confirmatur Decretum Congregationis Rituum in gratiam Canonorum Praemonstratensium Congregationis Hispaniae super indulto recitandi Officia Sanctorum dicti Ordinis.

Dar. 18. Junii 1725. Ann. 9.

Simile Decretum pro eisdem confirmatum fuit ab Innoc. XIII. Concl. ed. 1724. Feb. 9. P. 3. Et hujus Pont. Concl. ed. 1728. Martii 8. P. 4. Confirmatur aliud Decr. pro recitatione officiorum nonnullorum Sanctorum dicti Ordinis.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Alias emanavit a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Sacris Ritibus praepositorum ad reiteratas preces dilectorum filiorum, Canonorum Regularium Congregationis Hispaniae Ordinis Praemonstraten. Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet =

§.1. Ordinis Canonorum Praemonstraten. Congregationis Hispaniae. Humillimis, reiteratisque precibus nomine Canonorum Ordinis Praemonstraten. Congregationis Hispaniae porrectis, & ab Eminentissimo, & Reverendissimo Domino Cardinale de Belluga in Sacra Rituum Congregatione benigne indultis, ut ipsi, quavis a Gubernio, & Officio aliarum Congregationum praefati Ordinis sint divisi, in posterum Officium omnium Sanctorum dicti Ordinis juxta Ritum Breviarii, & Missalis Romani recitare, & Missas celebrare possint, & valeant. Die 23. Septembris 1724. P. Cardinalis Paulutus Praefectus = N. M. Tedesebi Archiepiscopus Apamensis Sacrae Rituum Congregationis Secretarius. =

Decretum praedictum.

§.2. Cum, sicut pro parte eorumdem Canonorum Nobis subinde expositum fuit, ipsi Decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, Apostolice Confirmationis nostrae patrocinio communiti summo perere desideret: Nos specialem, ipsi Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodate existant ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum ferie absolventes, & absolutas

Preces eorumdem Canonorum

Preces Procuratoris Provinciae

Confirmatio relati Decreti

Clausula cum derogationis

finis aliquando imponatur, eorumdemque Praedecessorum pio, atque salubri proposito inhaerentes, Motu proprio, ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolica potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo validura Constitutione, imprimis providam memorati Gregorii Praedecessoris Constitutionem cum omnibus, & singulis in ea contentis, atque dispositis amplissime confirmamus, approbamus, & innovamus, & quatenus opus sit, Criminum in illa exceptorum reis, & delinquentibus Immunitatem Ecclesiasticam suffragari nequaquam debere iterum, ac de novo decernimus, & declaramus. Praeterea non absque gravi animi nostri dolore arimadvertentes ob auctam, atque in dies invalescentem perverforum hominum malitiam saepe, ac saepius nonnulla alia gravia crimina perpetrari, quae non minus, quam illa in Gregoriana Constitutione, ut praefertur, excepta, publicam quietem perturbant, proinde ad delinquentium audaciam, ac ejusmodi delictorum frequentiam, quantum fieri poterit, coercendam, pro Apostolici muneris nostri debito, ea, quae inferius explicabuntur, statuenda censuimus.

Declaratio, & ampliatio ejusdem.

§.4. Cum itaque praedicta Gregoriana Constitutione cautum sit ut publicis Latronibus, viarumque Grassatoribus, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, aut viatores ex insidiis aggrediuntur, Immunitas Ecclesiastica minime suffragetur; non levis autem inter Doctores emerfit controversia, an quis ex unico actu publicus Lator, & Grassator dici possit, vel plures ad id actus requirantur: Nos ejusmodi controversiam dirimere intendentes, unicam tantum grassationem in via publica, aut vicinali admittam sufficere ad hoc, ut quis publicus Lator, & Grassator dici valeat, dummodo tamen grassati mors, aut membrorum mutilatio secuta fuerit, tenore praesentium definimus, & declaramus. Insuper ab Ecclesiastica Immunitatis beneficio excludimus, atque repellimus, & pro exclusis, atque repulsis haberi volumus, ne dum eos, qui homicidia, aut mutilationes membrorum in Ecclesiis, earumve Coemeteriis committere audent, quemadmodum in Gregoriana Constitutione sancitum est: Verum etiam eos, qui stantes in Ecclesia, vel Coemeterio, interficiunt stantes extra Ecclesiam vel Coemeterium, aut ipsis membrum mutilant: necnon eos, qui stantes extra Ecclesiam, aut Coemeterium, occidunt stantes intra Ecclesiam, vel Coemeterium, aut iis membrum mutilant: ac eos tandem, qui Confugientibus vim inferunt, atque ipsos ab Ecclesia, aliove loco immuni violenter extrahunt, & abducunt: Declarantes in quatuor praemissis casibus ejusmodi Reos non illius tantum Ecclesiae, quam violarunt, sed cujuscumque etiam alterius Ecclesiae Immunitate gaudere nequaquam posse, aut debere. Ad haec in crimine Assassini non modo Mandatarios, qui in ipsamet Gregoriana Constitutione aperte excipiuntur, sed etiam Mandantes, qui certum praemium, aut mercedem sive in pecunia, sive in aliis rebus tradiderint, aut promiserint, quamvis promissio nullum habuerit effectum, dummodo Assassinum re ipsa patratum fuerit, ab Ecclesiastica Immunitatis beneficio excludimus, ac pro exclusis perpetuo haberi volumus, & mandamus. Exclu-

dimus pariter, repellimus, atque privamus ejusdem Immunitatis privilegio interficientes proximum suum animo praemeditato, ac deliberato: Falsificantes Literas Apostolicas: Ministros Montis Pietatis, vel alterius publici Telonii, aut Banci pro depositis Principis, privatarumque personarum destinati, furtum, aut falsitatem in praedictis locis committentes, cujus ratione Arca pecuniaria ita minuatur, ut poenae ordinariae locus sit: Constantes, adulterantes, vel tondentes quascumque monetas aureas, vel argenteas, etiam Principum exteriorum, quotiescumque in loco, aut Provincia, ubi crimen admittitur, liberum habeant usum, & commercium: vel ipsas monetas conflatas, adulteratas, aut detonatas scienter ita expendere, & erogare praesumentes, ut fraudis conscii, atque participes censerentur: Illos demum, qui sub nomine Curiae sese introducunt in alias domos animo ibidem perpetrandi rapinas, easque re ipsa committunt cum homicidio, aut mutilatione membrorum alicujus ex domesticis eorumdem ejusdem, vel etiam extranei, quem ibi forte reperiri contigerit, dummodo homicidium, vel membrorum mutilatio sequatur.

§.5. Ceterum cum diuturna experientia: compertum fuerit Curias Ecclesiasticas in casibus, qui haecenus evenerunt, difficultates probare, & consequenter declarare potuisse delictum, pro quo quis ad Ecclesiam confugerat, fuisse comprehensum in numero exceptorum, propter variam earumdem Curiarum praxim, & varias pariter opiniones Doctorum, qui antedicti Gregorii Praedecessoris mentem quoad normam ab ipso praescriptam recipiendi probationes, & procedendi ad declarationem criminum exceptorum, interpretari voluerunt: statuimus, praecipimus, & mandamus nullam in hoc de cetero haberi rationem cujuscumque interpretationis ejusdem Gregoriana Constitutionis, quae a quocumque Doctore prodierit, neque praxis a quibuslibet Curis, aut Tribunalibus inventa, imo nec quarumcumque declarationum, quae ab hujus Almae Urbis nostrae Tribunalibus, sive etiam a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Immunitati Ecclesiasticae Praepositorum emanaverint, quatenus praesenti nostrae Constitutioni adversentur: Sed in occurrentibus casibus normam hic a nobis praescribendam inviolabiliter ab omnibus observari volumus, & sancimus.

Omnes aliae declarationes abrogantur.

§.6. Quotiescumque igitur Curia Ecclesiastica a Curia Seculari fuerit requisita, ut laicum aliquem delinquentem e loco immuni extrahi, ac illi consignari faciat, eaque super delicti excepti qualitate, ac persona reiterate subministrata, vel acquisita sint indicio, quae ad capturam decernendam sufficere videantur; tunc Curia Ecclesiastica ad ejusdem Delinquentis extractionem ab Ecclesia, aliisque locis immunitatis, ope, ac medio suorum Executorum, implorato etiam, quatenus opus sit, brachii Secularis auxilio, & cum interventu Personae Ecclesiasticae ab Episcopo deputandae, procedere teneatur, extractumque ad suos Carceres asportari, ac ibi sub tuta custodia detineri curet, & faciat. Ubi vero ex processu informativo desuper conficiendo constet de crimine excepto, ac insuper adversus eundem extractum talia resulant

Prescribitur forma extrahendi delinquentes ab Ecclesia.

tent indicia, ut crimen ab eo fuisse patratum moraliter credi possit (quae quidem indicia juxta regulas juris vocantur ultra torturam) eo tandem casu praefatum extractum Ministris, & Officialibus Curiae Secularis tradere, & consignare possit ac debeat, exacta tamen, receptaque prius ab ipsis obligatione in forma juris valida restituendi extractum Ecclesiae, sub poena excommunicationis lata sententiae nobis, ac pro tempore existenti Romano Pontifici reservata, quatenus idem extractus indicia contra ipsum acquisita in suis defensionibus purget, ac diluat. Quod si ea minime purgaverit, & vere delinquens reperit fuerit, Curia Seculari in ipsum tali casu, ut juris esse censuerit agere, atque procedere liceat.

Statuitur juxta Constitutionem praefatam, ut soli Episcopi declarare valeant, si delicta sint de numero exceptorum.

§.7. Praeterea considerantes praedictum Gregorium Praedecessorem in sua Constitutione optimo quidem jure sanxisse, ut soli Episcopi, & non alii Episcopos inferiores, etiam si locorum Ordinarii sint, aut nullius Diocesis, aut Conservatores a Sede Apostolica specialiter, vel generaliter deputati, cognoscere, & declarare valeant, an delicta, pro quibus Inquisiti ad loca immunitatis confugerunt, & in eis se receperunt, sint, necne de genere, ac numero exceptorum: Nos providam ejusmodi dispositionem approbantes, & confirmantes, eique inherentes, motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, tenore praesentium quibuscumque Magistratibus, Officialibus, & Ministris Secularibus, necnon quibusvis aliis personis cujuscumque gradus, & conditionis existant, etiam si Imperiali, Regia, Ducali, aut alia quavis mundana dignitate, aut auctoritate praefulgeant, districte interdiximus, ac inhibemus, ne hujusmodi casibus, vel conficiendo processus, vel Inquisito extrahendo a locis immunitatis, vel declarando crimina ab eis admissa esse de exceptis in Gregoriana, aut in praesenti nostra Constitutione, nullo pacto sese ingerant, aut immisceant. Quod si secus quidquam attentare praesumpserint, ex nunc omnia in contrarium praemissorum gerenda irrita, & inania, nulliusque roboris, vel momenti perpetuo fore, ipsosque attentantes in censuras, & alias poenas a Sacris Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis adversus eos, qui Jurisdictionem Ecclesiasticam quoquo modo ledunt, ac violant illicitas incurere decernimus, & declaramus: Volentes, intendentes, ac expresse mandantes, quod omnimoda cognitio, atque iudicium de criminibus in Gregoriana Constitutione exceptis, & a nobis superius explicatis, tum etiam de aliis, quae in praesenti nostra Constitutione adjicienda, & similiter excipienda duximus, quemadmodum, ut praefertur, adjecimus, & excepimus, ad Episcopos tantum private quoad omnes alios, perpetuo spectet, atque spectare debeat, & donec ipsi in occurrentibus casibus declaraverint delictum esse de exceptis, & cetera omnia a nobis superius constituta adimpleverint, Inquisitos Ecclesiae, vel alterius loci Sacri, ad quem confugerunt immunitate gaudere tuto debere, ac in ea conservandos, & manutenendos esse statuimus, praecipimus, & mandamus.

Exhortatio ad Episcopos super praedictis.

§.8. Universos demum, & singulos Venerabiles Fratres Nostros Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, & Episcopos, quos hujus nostrae Constitutionis executores deputamus, in

visceribus Domini Nostri Jesu Christi hortamur, & paterna charitate admonemus, ut quanti momenti sit hoc negotium, serio cogitantes, in occurrentibus casibus qualitatem testium, & probationum pondus summo studio, ac vigilantia scrutentur, omnemque fraudem, dolum, procul arceri satagant: quin etiam Sacerdotali pectore, quotiescumque opus fuerit, iis omnibus obstant, qui ejusdem praesentis Constitutionis executionem, ac observantiam quomodocumque temerario ausu impedire praesumerent. In reliquis porro casibus tam in hac nostra, quam in Gregoriana Constitutione non exceptis, memores quam acriter semper, & qua eximia, ac prorsus singulari animi fortitudine majores nostri pro Ecclesiastica libertate, ac Immunitate pugnaverint, nihil de illa imminui permittant, neque sacris juribus labem ullam irrogari patiantur, sed ea pari sane zelo, atque constanti tueri curent: ab omni tamen tumultu, ac perturbatione caventes, ne iactantiae causa potius, quam miserationis, & iustitiae titulo, Ecclesiastica Privilegia asserere velle videantur.

Clausula.

§.9. Decernentes easdem praesentes Literas, & in eis contenta quaecumque semper valida, firma, & efficacia existere, ac fore, suosque integros, atque plenarios effectus ubique fortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter, & inconcusse observari: sicque, & non aliter in praemissis per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicae Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quavis praeminentia, & potestate fungentes, ac sancturos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio.

§.10. Non obstantibus Cancellariae nostrae Apostolicae Regulis, necnon quorumcumque Praedecessorum nostrorum Literis Apostolicis, Privilegiis, Indultis, & facultatibus quibusvis personis etiam speciali mentione dignis, & quavis quantumcumque sublimi dignitate, & auctoritate fulgentibus, & ex quibusvis etiam gravibus, & urgentissimis causis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, & cum quibusvis etiam derogationum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritationibus, & aliis Decretis, etiam motu, scientia, potestatis plenitudine similibus, & consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, & occasiones, ac alia etiam speciali expressione digna praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis, ac reservatis respective habentes, hac vice dumtaxat, illis alias in suo robore permanentibus ad praemissorum effectum specialiter, & express-

Confirmatio
relati Decre-
ti.

tas fore censentes, supplicationibus eorum nomi-
ne Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati,
Decretum præsertim auctoritate Apostolica
re nore præsentium confirmamus, & approba-
mus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis
robur adjicimus; salva tamen semper in præ-
missis auctoritate memorata Congregationis
Cardinalium.

Clausula.

§.3. Decernentes easdem præsentem literas
semper firmas, validas, & efficaces existere, &
fore, suosque plenarios, & integros effectus for-
tiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, &
pro tempore spectabit, plenissime suffragari;
sicque in præmissis per quoscumque Judices Or-
dinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii
Apostolicæ Auditores, judicari, & definiri de-
bere; ac irritum, & inane, si secus super his a
quoquam quavis auctoritate scienter, vel igno-
rante contigerit attentari.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Or-
dinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis
quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub
Annulo Piscatoris die XVIII. Junii MDCCXXV.
Pontificatus Nostri Anno Secundo.

LXXVI.

Dat. 21. Junii
1725. An. 2.

Conceditur Gymnasiis, seu Collegiis Societatis
Jesu facultas eligendi sibi in specialem Patro-
num B. Aloysium Gonzaga.

*Inn. XI. Const. ed. 1632. Sept. 7. P. 6. confirmata
fuit Electio S. Ignatii in Patronum Regionis Can-
tabria. Et hujus Pont. Const. ed. 1724. Jun. 3.
P. 1. publicata fuit Canonizatio S. Francisci Bor-
gia.*

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a
debito pro-
movendi cul-
turi Sancto-
rum.

Apostolica Servitutis Officium, quod inscri-
tabilis Divinæ Sapientiæ, atque bonitatis
altitudo humilitati, atque infirmitati Nostræ
credere digna est, ad spiritualium fidelium ædi-
ficationem, salubriter exequi aspirante superni
favoris auxilio jugiter satagentes, beatorum
Christi Servorum, qui despectis sæculi vanitati-
bus jugum Domini in Sancta humilitate assump-
serunt, & virtutum omnium corona redimiti,
decursu feliciter mortalis vite stadio, immarce-
scibilem gloriæ Coronam in Cœlis accipere me-
ruerunt, cultum, & venerationem in Terris li-
benter promovemus, sicut Dei honori, & laudi,
populorumque pietati convenire conspiciamus.

Causa præ-
sentis Conflit-
tationis.

§.1. Gloriosa itaque Beati Aloysii Gonzaga
Societatis Jesu, virginitate in primis, ac vite
innocentia, & Principatus contemptu clarissimi
merita devota consideratione, ingentique animi
nostri gaudio recolentes, ac Juvenes, qui dile-
ctorum filiorum Clericorum Regularium ipsius
Societatis Jesu Scholas frequentant, quique sicut
accepimus, eundem Beatum Aloysium uti pec-
uliarem Patronum jam a sæculo, & ultra sua
sponte, privataque auctoritate colere cœperunt,
ad ejus vestigia, & virtutum, quibus mirifice
enituit, exempla sectanda, & opem crebris il-
lius intercessione ab Omnipotenti Deo patris

miraculis testatam in eorum necessitatibus, &
animarum periculis ferventius exposcendam ex-
citare cupientes; Omnibus, & singulis Univer-
sitatibus, Gymnasiis, vel Collegiis generalium
publicorum, vel studiorum, tam erectis, quam
erigendis, quæ a Clericis Regularibus prædictæ
Societatis Jesu de præsentem reguntur, aut in po-
sterum regentur, ubicumque terrarum existen-
tibus, ac Scholaribus ibidem literarum studiis
operam nunc, & pro tempore navantibus, ut
de cætero perpetuis futuris temporibus memora-
tum Beatum Aloysium, tanquam suorum libe-
ralium studiorum, atque innocentie, & casti-
tatis, in lubrica præsertim juvenili ætate diligen-
tius custodienda specialem patronum sibi delige-
re, habere, colere, & venerari illiusque fe-
stum quotannis, die 21. Mensis Junii celebrare;
neon iis ex prædictis scholaribus, qui ad horas
Canonicas tenentur, eadem die in honorem di-
cti Beati Aloysii officium recitare de communi
Confessoris non Pontificis sub ritu duplici mino-
re, & si qui pariter ex illis in Sacro Presbytera-
tus ordine constituti fuerint, Missam etiam sub
eodem ritu, & de communi itidem Confessoris
non Pontificis in Universitatibus tamen, Gymna-
siorum, seu Collegiorum ejusmodi Ecclesiis dum-
taxat, die prædicta celebrare juxta rubricas Bre-
viarii, ac Missalis Romani libere, & licite pos-
sint, & valeant, auctoritate Apostolica, tene-
re præsentium concedimus, & indulgemus.

Concessio
prædicta cum
quibusd. aliis
Indultis.

§.2. Non obstantibus Constitutionibus, &
Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contra-
riis quibuscumque.

Clausula.

§.3. Volumus autem, ut præsentium Lite-
rarum transumptis, seu exemplis, etiam im-
pressis, manu alicujus Superioris, seu Secretarii
dictæ Societatis subscriptis, & sigillo alicujus Per-
sonæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ, vel
Præpositi, aut Vicarii Generalis ejusdem Socie-
tatis pro tempore existentis munitis, eadem prorsus
fides in Judicio, & extra illud ubique loco-
rum habeatur, quæ ipsis præsentibus habetur,
si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Mandatur si-
dem adhiben-
dam transum-
tis.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub
Annulo Piscatoris die XXI. Junii MDCCXXV.
Pontificatus Nostri Anno Secundo.

LXXVII.

Confirmatur concessio Privilegiorum Congre-
gationis Theatinorum Congregationi Cleri-
corum Regularium Minorum a Gregorio XIV.
facta.

Dat. 3. Junii
1725. An. 2.

*Laudata Gregorii Constitutio edita fuit 1591. Feb. 18.
P. 1. & confirmata a Clem. VIII. Const. ed. 1692.
1. Jul. P. 1.*

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Sacro sanctum Apostolatus Officium, quod
humilitatem Nostram nullo licet merito-
rum suffragio gerere voluit Altissimus, jugiter
postulat, ut paternam Sacrarum Religionum,
& Congregationum in militanti Ecclesia suaves
& uberes fructus assidue præstantium curam,
exercentes, privilegia, gratias, & Indulta illis

Procerium.

a Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostri
concessa; quo solidiori robore perennent, cum
id a Nobis petitur, libenter constabimus.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dile-
ctus Filius Didacus Zuiz Præpositus Generalis
Congregationis Clericorum Regularium Minoro-
rum, quod alias postquam felic. record. Sixtus
Papa V. Prædecessor Noster eandem Congrega-
tionem per quædam suas literas desuper in simi-
li forma Brevis die prima Julii 1588. expeditas
approbaverat, ac privilegiis decoraverat, sub-
inde vero Gregorius XIV. Prædecessor pariter
Noster omnia, & singula privilegia, prærogati-
vas, concessionem, facultates, exemptiones,
immunitates, indulta, Indulgentias, & peccato-
rum remissiones, cæterasque gratias spirituales,
& temporales, ac tam conjunctim, quam
divisim, etiam per viam communicationis, vel
extensionis, aut alias quomodolibet Congrega-
tionis Presbyterorum Theatinorum nuncupat.,
illiusque Generali, aliisque Superioribus, Offi-
cialibus, Ministris, & personis, eorumque
Domibus Regularibus quibuscumque concessa,
ac quibus dicta Congregatio Theatinorum ejus-
que Domus Regulares, necnon Generalis, Su-
periores, Officiales, Ministri, & alie quæcum-
que illius personæ de jure, usu, consuetudine,
privilegio, aut concessione Apostolica, vel alias
quomodolibet per viam communicationis, & ex-
tensionis utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti,
frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt
quomodolibet in futurum, eidem Congregatio-
ni Clericorum Regularium Minorum, illiusque
Domibus Regularibus, necnon Præposito Gene-
rali, aliisque Superioribus, Officialibus, & Mi-
nistris, ac aliis quibuscumque illius personis tunc,
& pro tempore existentibus Apostolica auctori-
tate perpetuo concessit, illaque omnia, & sin-
gula ad dictam Congregationem Clericorum Regu-
larium Minorum, illiusque Domus Regula-
res, necnon Præpositum Generalem, Superio-
res, Officiales, Ministros, & personas prædictas,
ita ut eadem Congregatio Clericorum Regula-
rium Minorum, ejusque Regulares Domus, il-
lorumque Generalis, Superiores, Officiales,
Ministri, & personæ tunc, & pro tempore exi-
stentes præmissis omnibus, & singulis æque, &
pariformiter, ac sine aliqua differentia uti, po-
tiri, & gaudere libere, & licite possent, perin-
de ac si singula præmissa illis specialiter, & ex-
presse, ac principaliter, non autem ad instar
concessa, & suis literis expressa, ac de verbo ad
verbum nihil penitus omisso inserta fuissent, di-
cta auctoritate extendit, illaque omnia, & sin-
gula Congregationi Clericorum Regularium Mi-
norum hujusmodi, illiusque Domibus Regulari-
bus, & personis prædictis communicavit, &
alias prout in ipsius Gregorii Prædecessoris lite-
ris desuper in simili forma Brevis die 18. Februa-
rii 1591. expeditis, quarum tenorem præsentium
pro plene, & sufficienter expresso, & de ver-
bo ad verbum inserto haberi volumus, uberius
dicitur contineri, & postmodum pia mem. Cle-
mentis Papa VIII. pariter Prædecessor Noster
per suas itidem literas die prima Julii 1592. ex-
peditas omnia, & singula privilegia, & gratias
eidem Congregationi Clericorum Regularium,
sicut præmittitur, concessa, pari auctoritate
confirmavit.

A Greg. XIV.
Privilegia
omnia Cong-
regat. Thea-
tinorum di-
ctæ Congreg-
Clericorum
Regularium
Minor. con-
cessa.

Quod a Cle-
mente VIII.
confirmatum.

jungebat, dictus Didacus Præpositus Generalis
prædictus Gregorii Prædecessoris Literas Apo-
stolicæ Confirmationis Nostræ patrocinio com-
munitur plurimum desideret. Nos specialem ipsi
Didaco Præposito Generali gratiam facere vo-
lentes, eumque a quibusvis excommunicationis,
suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis
sententiis, censuris, & pœnis a jure vel ab ho-
mine quavis occasione, vel causa latis, si qui-
bus quomodolibet innodatus existit, ad effectum
præsentium dumtaxat consequendum, harum-
serie absolventes, & absolutum fore censentes,
supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc
humiliter porrectis inclinati; concessionem, &
elargitionem Congregationi Clericorum Regula-
rium Minorum hujusmodi omnium gratiarum,
& privilegiorum memorata Congregationis
Theatinorum, etiam per viam communicationis,
& extensionis a prædicto Gregorio Præde-
cessore per ejus literas prædictas factas, ut præ-
fertur, eadem auctoritate, tenore præsentium
perpetuo confirmamus, & approbamus, ac in-
novamus, necnon quatenus opus sit ea omnia,
& singula de novo concedimus, illisque perpetuæ
& inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjici-
mus omnesque, & singulos tam juris, quam fa-
cti defectus, si qui desuper quomodolibet inter-
venerint, supplemus.

Preces Præ-
positi Gene-
ralis.

Confirmatio
prædictæ Conflit-
tationis.

§.3. Decernentes easdem præsentem Literas
semper, & perpetuo firmas validas, & efficaces
existere, & fore, suosque plenarios, & integros
effectus fortiri, & obtinere, & illis, ad quos
spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, &
per omnia plenissime suffragari; sicque in præ-
missis per quoscumque Judices Ordinarios, &
Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolicæ
Auditores judicari, & definiri debere; ac irri-
tum, & inane si secus super his a quoquam quavis
auctoritate scienter, vel ignoranter conti-
gerit attentari.

Clausula.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, &
Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, &
singulis illis, quæ dictus Gregorius Prædecessor
in suis literis prædictis voluit non obstare, cæte-
risque contrariis quibuscumque.

§.5. Volumus autem, ut præsentium lite-
rarum transumptis, seu exemplis, etiam im-
pressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, &
sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate consti-
tutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, &
extra illud habeatur, quæ eisdem præsentibus ad-
hiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Fides adhiben-
da transum-
tis.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo
Piscatoris die XXIII. Junii MDCCXXV. Pontifi-
catus Nostri Anno Secundo.

LXXVIII.

Erigitur Oppidum Pontis Curvi Provinciæ Ro-
manæ in Civitatem; ejusque Collegiata Ec-
clesia in Cathedrallem.

Dat. 23. Junii
1725. An. 2.

*Const. ed. 1725., Jul. 16, P. 2. erigitur Cathedra-
lis Setim; Et Const. ed. 1725. Maji 23. P. 1. con-
firmata fuit erectio Ecclesiæ Urbinaten, in Metro-
politana.*

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a cura Roman. Pontificis omnium Ecclesiarum prefertim quae eius temporali dominio subiecta sunt.

IN excelsa Sedis Apostolicae specula, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, per ineffabilem illius, cujus est terra, & plenitudo ejus, clementiam constituti, levamus jugiter in circuitu Agri Domini mentis nostrae oculos, pervigili more Pastoris inspecturi, quid Provinciarum, & locorum quorumlibet statui conveniat, quidque operis ad promovendum ubique spirituale Christi fidelium bonum impendi debeat. Dignum vero Pontificia nostra sollicitudine in primis arbitramur, & justum, ut ad ea, quae Ecclesiarum quarumcumque decorem, & amplitudinem, Divinique cultus incrementum respiciunt: quaeque simul Oppidorum illustrium, ac eorum praefertim, quae Romani Pontificis etiam temporali dominio subiecta sunt, splendidiore ornameto conducere, & Populis erga Nos, eandemque Sedem fide, ac devotione praestantibus peculiarem consolationem asserere possunt, studia, curaque nostras libenter convertamus, nostrique Pastoralis Officii partes propensa charitate, desuper interponamus, prout pia eorumdem populorum vota postulant, & Nos, matura adhibita consultatione, cognoscimus in Domino salubriter expedire.

Causa praesentis erectionis praedicti Oppidi laudat.

§.1. Cum itaque, sicuti pro parte dilectorum filiorum Capituli, & Canonicorum secularis, & Collegiate Ecclesiae Sancti Bartholomaei, necnon Universitatis, & Populi Oppidi nostri Pontis Curvi Aquinatis Diocesis in Provincia Romana, nuper expositum Nobis fuit, idem Oppidum inter alia illarum partium insigne, & antiquitatis gloria percelebre, quippe quod ex ruinis veterum Fregellarum (clara olim in Latio Urbis) fuisse conditum existimatur, conspicua habitatorum, incolarumque multitudine, benedictente Domino, refertum existat: ac septem Parochialibus Ecclesiis, quarum tres sunt Collegiate congruo Canonicorum numero instructae, pluribus diversorum Ordinum Virorum, atque Mulierum Coenobiis, quatuor Confraternitatibus Laicorum, duobus Hospitalibus, Monte Pietatis pro subsidio Pauperum, Commenda Equitum Ordinis Sancti Joannis Hierosolymitani, multis nobilibus aedificiis, & non paucis familiaribus honestissimis decoretur, ac ultra Pagum Sanctae Olivae nuncupatum sibi suppositum, amplum, atque fructiferum habeat territorium, quod ad triginta circiter millaria protenditur; retroactis vero temporibus plures in lucem eiderit Sacros Praefules, & alios vita sanctimonia, optimarum disciplinarum cultu, & militari etiam laude illustres viros, adeoque a Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris non specialibus modo gratis, & beneficiis ornari, sed Civitatis quoque titulo aliquando appellari meruit: Praeterea, cum Episcopi Aquinates ob Coeli insalubritatem, & Domus Episcopalis defectum, apud suam Cathedralium Ecclesiam, quae ceteroquin unum Archipresbyterum cum sex tantum Canonicis habet, residere non possint, ab antiquo tempore jugiter in antedicto Oppido Pontis Curvi resident, & in memorata Ecclesia Sancti Bartholomaei nobilis, & amplae structurae, ubi Ar-

chipresbyter, qui est unica Dignitas, Canonicus Theologus, & decem alii adsunt Canonici, Divinis Officiis more Cathedralium inservientes, Cathedraliam fixam tenere, Sacra Olea conficere, Ordines, & Functiones Pontificales, quae ex Tridentini Concilii praescripto in Cathedralibus Ecclesiis peragi debent, decenter exercere ab antiquo etiam tempore consueverint: In eadem insuper Collegiata Ecclesia honorifice asseretur, & peculiari fidelium veneratione colatur Sacrum Corpus Sancti Grimoaldi Confessoris, ipsius Ecclesiae olim Archipresbyteri, & Concilii, cujus nomen in Martyrologio Romano descriptum est: Ad haec in praefato Oppido speciosum extet Episcopium a Moderno Episcopo propriis sumptibus cum Curia, & Archivio constructum, ubi Episcopus, & illius Vicarius in spiritualibus generalis habitare possunt, & solent; eidemque Palatio juncta conspiciantur duo satis ampla aedificia, quorum alterum pro Monte Pietatis destinatum est, alterum vero usui Seminarium inservit, in quo plures Alumni ex universa Diocesi delecti, & Convictores etiam non pauci probe educantur, & ab idoneis Praeceptoribus iis accurate instituuntur disciplinis, quas Tridentinum Concilium in Seminario Ecclesiasticis tradi mandat.

§.2. Ac propterea Capitulum, & Canonici, Universitas, & Populus Antedicti Oppidi Pontis, & Collegiatae Ecclesiae Sancti Bartholomaei hujusmodi dignioribus titulis augeri summo opere exoptent, nobisque humiliter supplicaverint, ut dictum Oppidum in Civitatem, & dictam Collegiatae Ecclesiam in Cathedralium erigere de benignitate Apostolica dignaremur.

§.3. Nos igitur praemissorum omnium, & singulorum plenam, certamque notitiam habentes, & Capitulo, Canonicis, Universitati, & Populo praedictis, quos ob spectatum in Nos, ac Sanctam Sedem devotionem, & fidem paternam charitate diligimus, specialem gratiam facere, necnon Venerabilem Fratrem Josephum Modernum Episcopum Aquinatensem, dictumque Oppidum promerita, & signanter quod ibidem Palatium Episcopale, ut praefertur, ac Seminarium, & Montem Pietatis, novamque etiam Cathedralium Aquini, loco veteris collapsae (quam in minoribus constituti jam collapsentem propriis oculis dolenter inspeximus) aedificia curaverit, ac insuper Episcopalis Mensae proventus multipliciter auxerit, Archiepiscopi Tyanensis titulo nuperime insignivimus, benigno, & grato favore prosequi volentes, omnibusque, & singulis praemissis Nobis, ut praefertur, expositis, pro verificatis, & justificatis habentes, Motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolica potestatis plenitudine, Oppidum praefatum in Civitatem Pontis Curvi deinceps nuncupandam cum omnibus juribus, praerogativis, honoribus, & praemiis, quibus aliae Civitates, earumque Civitates utuntur, potiuntur, & gaudent, ut uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum: Et secularem Collegiatae Ecclesiam Sancti Bartholomaei hujusmodi in Cathedralium sub eadem invocatione, & in ea Sedem Episcopalem pro Episcopo Aquini, & Pontis Curvi, seu Fregellarum conjunctim etiam nuncupando, qui in illa, & Civitate praedicta omnia, & singula, quae Ordinis, & jurisdictionis, ac cujus-

Preces Capituli d. Oppidi pro erectione praefata.

Erigitur praedictum Oppidum in Civitatem, & Collegiatae Ecclesiae in Cathedralium: quae Sedi Apostolicae immediate subijciuntur.

eumque alterius muneris Episcopalis sunt, exerceat: necnon cum omnibus, & singulis privilegiis, immunitatibus, indultis, & gratis, quibus aliae Cathedrales Ecclesiae, earumque Praefules de jure, vel consuetudine, aut alias quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, ad Omnipotentis Dei laudem, & gloriam, ac ipsius Sancti Bartholomaei honorem, & Christi fidelium devotionis augmentum, tenore praesentium perpetuo erigimus, & institui- mus, illaque sic erectas, & institutas, necnon Episcopum pro tempore existentem, ac ipsius Ecclesiae Capitulum, Sedi Apostolicae immediate etiam perpetuo subijcimus, & sub peculiari Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum protectione suscipimus.

Ecclesia praedicta in Cathedralium erecta Ecclesiae Aquinatis univ. cum quibusdam ordinationibus de Episcopali vacante.

§.4. Praeterea motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus Cathedralium Ecclesiam Sancti Bartholomaei Pontis Curvi hujusmodi antiquae Cathedralium Ecclesiae Aquinatis, aequae principaliter perpetuo univ. itaut in posterum eadem Ecclesia Sancti Bartholomaei Pontis Curvi Cathedralium cum Ecclesia Aquinate sit, ac esse debeat, & Episcopus pro tempore existens, Episcopus Aquinas, & Pontis Curvi, seu Fregellanus conjunctim esse, & nominari debeat, necnon in actibus Consistorialibus, ac in Literis Apostolicis super promotione novi Episcopi ad praedictas Aquinatensem, & Pontis Curvi, seu Fregellaram, ut Concathedralium ejusdem Ecclesiae Aquinatis: conditione tamen adiecta, quod veniente Sedis Episcopalis vacatione Capitulum Ecclesiae Aquinatis, uti antiquum, inconsulto, & minime audito Capitulo dicte Cathedralium Ecclesiae Pontis Curvi, seu Fregellanae, ad electionem Vicarii Capitularis procedere valeat, & qui ab eodem Capitulo Aquinate electus, & deputatus fuerit Vicarius Capitularis, suam jurisdictionem etiam in Ecclesia Pontis Curvi, seu Fregellana, ut haecenus consuevit exercere libere possit: ea plane ratione, quam nos observari decrevimus, atque mandavimus tam in electione Vicarii Capitularis, quam etiam in omnibus aliis actibus consimilem Concathedralitatem respicientibus, cum nuper Ecclesiam Setinam declaravimus Cathedralium, & unitam a fel. rec. Honorio Papa III. aequae principaliter Ecclesiae Terracineni, & quatenus post ejusmodi unionem Cathedralium esse desiisset, vel nunquam Cathedralium extitisset, eam denuo in Cathedralium ereximus, eidemque Terracineni Ecclesiae aequae principaliter in perpetuum univimus, quemadmodum in literis Apostolicis hoc eodem anno Incarnationis Dominicae 1725. tertio Kal. Maji a Nobis in simili forma sub plumbo desuper expeditis uberius continetur.

Promittitur Canonicis ejusdem Cathedralium concessio Rocchetti, & Cap. magna.

§.5. Ceterum, cum expositum Nobis fuerit Archipresbyterum, & Canonicos Cathedralium Ecclesiae Aquinatis ex antiquo Apostolico Privilegio in omnibus Ecclesiasticis functionibus deffere solitos esse Rocchetum cum Cappa Magna: aequum vero, justumque arbitremur, ut inter illos, & Archipresbyterum, atque Canonicos Cathedralium Ecclesiae Pontis Curvi, seu Fregellanae praedictae nullum prorsus intercedat discrimen, sed utrique iidem omnino Canonicalibus indumentis utantur: ipsis moder- nis, ac pro tempore existentibus Archipresbyte- ro, & Canonicis ejusdem Ecclesiae Sancti Bar-

tholomaei Pontis Curvi, seu Fregellan. per alias nostras ab ipsis per Cancellariam, ut moris est, expediendas Literas Apostolicas benigne indulgebimus, ut Rocchetum, & Cappam Magnam eo prorsus modo, iisque temporibus, quibus praedicti Archipresbyter, & Canonici antiquae Cathedralium Ecclesiae Aquinatis ejusmodi indumenta gestare haecenus consueverunt, in eorum Ecclesia, quam in Capitulo, vel extra, ac in Processionibus, etiam Funeralibus, & aliis quibuscumque functionibus, postquam tamen Literas Nostras Indultis ejusmodi per Cancellariam, ut praefertur, expediendas obtinuerint, & non ante deffere possint, & valeant.

Clausula peccatares.

§.6. Decernentes easdem praesentes literas semper, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, ac nullo unquam tempore ex quocumque capite, vel quolibet causa, quantumvis legitima, & Juridica, etiam ex eo, quod Capitulum, Archipresbyter, & Canonici dicte Ecclesiae Aquinatis, seu quicumque alii cujuscumque dignitatis, gradus, & praeminentiae sint, in praemissis omnibus, & singulis, & circa ea quomodolibet, & ex quavis causa, ratione, actione, vel occasione Jus, vel interesse habentes, seu habere pretendentes, illis non consenserint, aut ad id vocati, & auditi, & causa, propter quas eadem praesentes emanaverint adducta, verificata, ac justificata non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, seu invaliditatis vitio, vel intentionis nostrae, aut Jus, vel Interesse habentium consensus, aut quolibet alio quantumvis magno, substantiali, inexcogitato, & inexcogitabili, ac specificam, & individuum mentionem, ac expressionem requirente defectu, five etiam ex eo, quod in praemissis, eorumque aliquo solemnitate, & quavis alia servanda, & adimplenda, servata, & adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite a Jure, vel facto, aut Statuto, vel consuetudine aliqua resultant, seu enormis, enormissimae, totalisque lesionis, aut quocumque colore, praetextu, ratione, vel causa, etiam in corpore Juris clausa, occasione, aliave causa, etiam quantumvis justa, rationabili, legitima, juridica, pia, privilegiata, etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostra, & aliis superius expressis nullibi appareret, nec alias probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos Juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperiitionis oris, reductionis ad viam, & terminos Juris, aut aliud quodcumque Juris, vel facti, aut gratiae, vel Justitiae remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu simili concessio, vel impetrato, aut emanato uti, seu se juvare in Judicio, vel extra, posse, neque ipsas praesentes sub quibusvis similibus, vel dissimilibus gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per Nos, & Successores Nostris, Romanos Pontifices pro tempore existentes, & Sedem Apostolicam praedictam, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, & ex quibuslibet causis, & sub quibusvis verborum